

MÜNCHENER BEITRÄGE

ZUR MEDIÄVISTIK UND RENAISSANCE-FORSCHUNG

Herausgegeben von GABRIEL SILAGI

35

Landesherrliche Kanzleien im Spätmittelalter

Referate zum VI. Internationalen Kongreß
für Diplomatik, München 1983

Teilband 2

1984

Bei der Arbo-Gesellschaft
München

PAOLO SELMI

De documentis ac de via rationeque ad ea conficienda adhibitis a
Dominatibus Venetam gubernantibus Terram Firmam,
antequam in Venetiarum Rem Publicam Terra ipsa affluxit

Quaestiō I. De Venetae Terrae Firmae circuitu

Dubitare possumus an legitime Venetam nuncupemus regionem iacentem propemodum inter Padum flumen Alpesque et inter Adduam flumen Quar-
narumque (id est Liburnicum) sinum, antequam ipsa in Venetiarum Rei Pu-
blicae gubernacula venerit. Legitime nomen hoc usurpari censemus: nam
iidem fines ab Octaviano Augusto „Decima Regio Venetia et Histria“ appel-
lati sunt.

Deinde a transmigrantibus, et postea hic inhabitantibus, Langobardo-
rum catervis illa regio in duas partes seiuncta est. Terrestris pars, sub Lango-
bardorum regibus eorumque successoribus, constituta, Venetia Terrestris ap-
pellari numquam desita est; altera autem pars, id est Atrianorum paludes tan-
tum, sub Constantinopolitanis Romanorum Imperatoribus permansit et us-
que Venetia appellata est, sed Maritima. Iure ergo Venetam dicimus Terram
„Firmam“ illam, quae Venetia Terrestris est, antequam in Venetiarum Rem
Publicam venit, quasi nomen e terrarum descriptione servemus.

Quaestiō II.

De Dominatibus Venetam Terram Firmam gubernantibus. ●ua de
causa Aquilegenscm Patriarcham omittamus

In Veneta quoque Terra Firma viri, feudalibus stirpibus nati, iam dudum
in urbibus commorantibus Communique¹ voluntarie subiectis, potiti nonnul-
lis maximis iam dilabentibus Communibus, regimen condunt, quod Domina-
tus dicitur, cuius singulares notae propriae Dominatum septentrionalis

¹ Verbo „Commune“ significamus, ut de more, publici regiminis formam, quae
praesertim in nonnullis septentrionalis mediaeque Italiae urbibus a XI p.Ch.n. saeculo
ad XIV saeculum viguit.

mediaeque Italiae sunt. Scripturi sumus de Dominaribus tantum, quorum caput et arx in Veneta Terra Firma erat.

Quam ob rem teferemus de Scaligeris (vulgari italico sermone *de la Scala* appellatis), Veronam territoriaque identidem ei addita gubernantibus, et de Carrarensibus (vulgari italico sermone *de Carrara* nuncupatis), Paduam eiusque regionem moderantibus, et de Caminensibus (vulgari italico sermone *da Camino* denominatis), Tarvisium terrasque ei adiunctas regentibus.

Aquilegensem Patriarchatum merito praetermittendum opinamur, quia eius gubernandi ratio illis notis caret, quas Dominatibus peculiare esse diximus, saltem in Italia. Nam Aquilegensis Patriarchatus, cuius quamquam territoria in Venetiarum Rem Publicam ventura erant, cuius quoque caput et arx in Veneta Terra Firma fuit, neque a superioris Communis commutatione ortus est, neque, ut Commune, plerumque antiquis temporibus, regimen urbanum fuit. Praeterea Aquilegensis Patriarcha feudali iure et nomine usus est, minime imperio potitur, potestatem finitam exercuit, neque superioris regiminis speciem ac nomen immuravit, sed servavit, cum ceteri Dominatum conditores rectoresque plane alia agerent. In Patriarchatu acer pollensque vir tum non fuit, qui progeniei constantia et proposita servaret et stabilem rem efficeret, qui infestas factiones cohibere ac subicere posset. Etenim Patriarchalis dignitatis collatio commoda Patriarchatui semper aliena explebat. Nullus Patriarcha civium ordines in subditorum ordinem, subiectorum summo arbitrio in Dominum unum congesto, convertere consecutus est. Ergo in Aquilegensis Patriarchatus gubernandi genere nihil proprii italicorum Dominatumprehenditur, externa omnia contra fuerunt.

Quaestio III.

De difficultatibus in Dominatum documentis reperiendis

Hominum proposita, saepius quam iacturae casusque, fere tota Dominatum tabularia, praesertim ad rei publicae secreta pertinentia, deleverunt. Quae cum ita sint non emittentium, sed potius accipientium documenta nobis investiganda sunt tabulatia: inventio igitur manca, inordinata, saepius fortuita est. Quia investigantes mutilos exitus eventusque adhuc adepti sumus, non conclusiones sed tantum ad perscrutam ampliandamque initam viam quaedam incitamenta oblaturi sumus. Documenta tantum indubie authentica inspeximus, quae certam praeeberent regulam ad documenta, ab iisdem emittentibus prolata, diiudicanda ut authentica.

Dominatum in Veneta Terra Firma documenta perraro pro rei diplomaticae doctrina excussa sunt. Cum vero huiusmodi inspectio peracta esset, accu-

ratiis extrinsecae notae pertractatae sunt, quandoque etiam intrinsecae, sed inter has praecipue quae in aperiendo et in claudendo documento rigidissimae videntur. Ex intrinsecis quoque notis quae iuridicam documenti substantiam patefaciebant pro nihilo habitae sunt, modique ipsius iuridicae substantiae verbis manifestandae eandem aestimationem consecuti sunt. Utrasque immo huiusmodi intrinsecas notas principem et perefficacem viam ad documentum ut authenticum diiudicandum existimamus. Praeterea notae ipsae, excellenti pro re diplomatica successu, comparari possunt cum rei publicae institutis, iuribus, legibus eorundem temporum locorumque, quibus documenta genita sunt.

Quamquam pleraque documenta, quae inspectavimus, sub exempli specie tantum tradita sunt, hac de causa eorundem documentorum intrinsecas notas unice perscrutari possumus, tamen, harum quoque notarum praesidio tantum, in rei diplomaticae fines nos progressuros esse pro certo habemus. Cum aurem nullus nobis cognitus vir doctus neque obiter neque ex professo tractavisset qua ratione in Terra Firma Veneta Dominatum omnium officia ad documenta expromenda conformata essent, nos e documentis ipsis aliquot notitias de processu in documentis Dominatum absolvendis educere conati sumus. Quapropter ne de hac re quidem notitiae expletae erunt. In promptu posituri sumus tantum notas documentorum ab unoquoque Dominatu promotorum singulariter proprias. E ceteris notis acrius perspectis comparatisque mox allaturi sumus tabellas, in quibus notae omnes documentorum Dominatum disponentur.

Quaestio IV. De Scaligerorum documentis

Scaligerorum Dominatus Veronae caput arcemque constituit, imperium exercuit ab anno p. Ch. n. millesimo ducentesimo sexagesimo tertio usque ad annum millesimum trecentessimum octogesimum septimum: ergo Dominatum in Veneta Terra Firma diutissime perduravit.

Eventus e quibus Domini tabularia sublata sunt non investigavimus, neque percensuimus tabellionum tabularia ut cognosceremus num tabelliones in tabulariis suis aliquot vel omnia a Dominis prodita documenta asservavissent. Aliquot veronensium familiarum tabularia, quae in veronensi Rei Publicae Tabulario reposita sunt, documentorum copiam saris ostenderunt²

A) *Ministri processusque ad documenta expromenda*

Originalia missa documenta, a nobis inspecta, nihil de processu probant, quo Domini voluntas in documento defigitur. Ab iisdem documentis cancel-

² Vide sequentem paginam.

lariae ministros omnes tabelliones fuisse scimus. Adhuc verum minime cognovimus utrum ii in Scaligerorum cancellaria unice egissent an pro privatis quoque hominibus simul operam navassent. Qua de quaestione investigatos nos esse speramus.

B) *Documentorum genera*

Inter documenta a Scaligerorum cancellaria producta genera discernere quattuor possumus.

Primum est de privilegiis, quibus cancellaria iura constituebat, saepe „speciali gratia“⁴. Tamen constitutio implicite fiebat etiam alio documentorum genere, de quo infra.

Secundum pertinet ad epistulas sollemnes, iis plerumque Domini decreta nuntiabantur, sed saepe eodem documentorum genere iura constituebantur. In privilegiis promulgatio e praeccepti clausula unice apparet, in epistulis autem, saepenumero patentibus, praecceptum est, ex iuridici facti natura, documenti princeps propositum, cum iurium constitutio tamquam antecedens factum sit.

² Quae Scaligerorum documenta adhuc pervidimus.

Veronae. Archivio di Stato.

-Tabularium Familiae Bevilacqua Scaligeri.

-involutum 47, dipl.	1	1335 oct.	31
	2	1336 dec.	16
	7	1352 aug.	18
	9 (?)	1354 nov.	18
	81	1354 aug.	19
-involutum 99, num.	1 a	1292 iun.	19
	b	1306 iun.	28
	c	1321 aug.	7
	3	1332 nov.	8
	4	1338 nov.	21
	6	1347 mar.	26
	10	1369 iul.	16

-Tabularium Familiae Malaspina

-involutum 10, num.	1	1328 sep.	16
---------------------	---	-----------	----

-Tabularium Familiae Zileri Dal Verme

-involutum diplomatum, num.	7 (ined.)	1351 mar.	22
	8 (ined.)	1351 iul.	2

-Tabularium Monasterii Sanctae Catarinae martyris Veronae

-involutum diplomatum, appendix, 4		1331 iul.	10
------------------------------------	--	-----------	----

-Tabularium VIII varia (probabiliter ex Tabulario Monasterii Sanctae Catarinae martyris Veronae)

		1351 iul.	8
--	--	-----------	---

Tertium genus continet epistulas simplices: hae epistulae, rarius patentes, a Domino adhibebantur ut rei publicae interna regeret; iisdem non numquam epistulis Dominus nutum suum et ad certum et ad incertum tempus efficacem praescriberat.

Quartum de instrumentis simpliciter a tabellionibus confectis est; quibus documentis Dominus utebatur ut potestates a privato iure sibi tributas excerneret in bona plerumque sua, ut documenta e gentium iure adprobanda accipiendaeque perficeret, ut praescriptiones „de Domini mandato“ ad rem publicam administrandam conficeret.

C.) *Documentorum extrinsecae et intrinsecae notae*

Privilegia originalia omnia quae vidimus scripta in rectis membranis, elegantissimis percultisque litteris, cereoque rubro sigillo cordulis sericis de plica pendensibus suspenso obsignata sunt. Inter ea unum tantum privilegium, donationem ecclesiasticae corporationi ostendens, arengam (id est exordium) profert, quae intitulationem, more tabellionali, praecedit. Effusa est intitulatione consulto, in qua numquam „Capitaneus et Dominus generalis“ abest, cuius amplificationes crebro commutantur, neque semper ob subactarum terrarum mutationem. Dispositio semper incipit studiose repetens iuris fontem, quo disponendi animus legitimus fit, adseverando „ex nostri capitaneus officio et de nostra plenitudine potestatis et ex certa scientia“. Dominus etiam Communi Veronensi, a quo ipse creatum se esse aliquando dicit, clausulam prohibitionis imponit, se illo maiorem praestans. Datatio formula „actum et datum (. . .) per manum“ exprimitur. Numquam documentum se ipsum privilegium nuncupat, sed potius „series, rescriptum, gratia“; cancellaria tamen ob formam aut ob documenti iuridicam substantiam eorum nominum quodvis adhibet.

Epistulae sollemnes quoque easdem intrinsecas notas, quas privilegia, ostendunt. Notificatio praestantem locum tenet. Documentum „litterae“ se ipsum nuncupat, etsi conferens in perpetuum „gratiam, concessionem et donationem“ in Dominatus territoria, semper suomet genere se „notitiam“ aperit. Reliquae epistolarum sollemniarum formulae simillimae privilegiorum sunt.

Epistulae simplices, saepe patentes, et in membranis et in xylyna linteave charta descriptae sunt. In originalibus huiusmodi documentis, quae inspeximus, quorum duo adhuc inedita sunt, manus ductusque praebent perdecora Cereum sigillum adhaerens in medio documento et proxime expletae scripturae affigitur. Sigilli forma autem non immediate super ceram imprimitur, sed inter formam et ceram inscribitur quoddam xylynae linteave chartae fragmentum diligenter

circumcisum. Mos apud nonnullas cancellarias servabatur: exempti gratia apud Domini Mantuani et Domini Mediolanensis cancellarias. In intitulatione tantum praestantissimus e titulis praescriptus est. Dispositio non semper potestatis principium originemque commemorat, rogatarium quandoque roboratio indicat, datatio constantet ostendit „actum et datum“ formulam, quaevis subscriptio deest.

Quaestio V. De Carrarensium documentis

Perpauca documenta a Dominis Carrarensibus prolata supersunt. Carrareses Paduam eiusque regionem, perbreuibis intermissis temporibus, ab anno p.Ch.n. millesimo trecentesimo duodevigesimo usque ad annum millesimum quadringentesimum quintum rexerunt.

Ut quae Carrarensium documenta supersint reperiantur, accipientium tabularia praecipue exploranda sunt. Nihilominus documenta ea ex alio copiosissimo fonte eruere possumus: idest ex instrumentorum libris a tabellionibus confectis. Quibus in libris, optimo iure cancellariae denominandis, documenta Domini iussu confecta cum documentis privatorum rogatione perscriptis commiscentur. Nam pro certo habemus tabelliones, in cancellariam ad Dominorum documenta perficienda de more vocatos, simul munus pro privatis quoque sustinuisse. Tabellionum libri a Dominis edita documenta non omnia asservant, tamen dubitare non possumus quin documenta omnia ibidem descripta authentica plane sint.

Quapropter intrinsecae Carrarensium documentorum notae, quas e tabellionum libris deprompsimus, peridonea subsidia sunt ut in posterum diiudicemus eiusdem generis documenta³.

³ In Carrarensium Dominorum documentis investigandis ducti doctique sumus a claris Patavinis auctoribus, qui inferius nominantur. *Andrea Gloria*. *Intorno ai diplomi dei principi da Carrara*. Padova, 1859. *Idem*. *Sull'epistole della Repubblica di Padova e dei principi da Carrara*. . *Ibidem*, 1859. *Vittorio Lazzarini*. *Due sigilli di Francesco Novello da Carrara*. *Ibidem*, 1900. Non omnia documenta, de quibus auctores praedicti mentionem fecerant, invenimus, cum probabiliter collocandi ratio mutata esset. Quae documenta Carrarensium adhuc pervidimus:

Paduae

—Bibliotheca Civica

—B.P. 990 I—II. Collectanea Familiae Papafava-Carraresi documentorum.

—Archivio di Stato.

—Collectanea Diplomatica

num. 7471/A

7705

1346 iun. 10

1350 iul. 7

A) *Ministri processusque ad documenta expromenda*

Nobis tandem dicendum est munus conficiendi documenta unice tabellionibus, imperiali aut apostolica auctoritate praeditis, a Dominis creditum esse. E subscriptionibus tabellionum progressum per officiorum gradus, quorum supremus protoscriba erat, persequi possumus.

8043	1360 sep.	2
8069	1361 iul.	9
8500	1371 mai.	19
8736	1376 mai.	14
ad diem, hactenus extra indicem	1382 iul.	6
8989	1383 apr.	3
ad diem, hactenus extra indicem: huius documenti cancellariae originalis breviata forma adest in Ziliu de Calvi tabellionis Libro instrumentorum V,c. 128 r -v	1384 apr.	27
9031	1384 aug.	25
9241	1391 feb.	26
9255	1391 mai.	22
9260	1391 iul.	7
9534	1398 mai.	18
-Collectanea Coronae num. 2506	1365 iul.	8
3379	1366 ian.	18
3943/1	1366 iun.	28
4766	1370 mar.	8
3392	1391 aug.	16
3403	1402 iul.	7
-Tabularium Familiae Lion membranatum involucrium 1, num. 53	1399 dec.	19
-Tabularium Familiae Zabarella -membranarum involucrium 1	1403 iul.	23
Tabulatia non omnium tabellionum officiorumve, tempore Dominorum Carrarensium agentium, inspeximus: sed tantum eorum de quibus inferius dicimus, et tabulatia haec ne in totum quidem examinavimus.		
-Tabulatum tabellionum -Zilius de Calvis -Franciscus de Fossadulce -Iohannes de Stufa -Bandinus de Brazzi		
-Tabularium Officii Sigilli -Tabularium Officii Draconis		
Veronae		
-Archivio di Stato Tabularium Familiae Bevilacqua Scaligeri involucrium 47, dipl. 12	1393 apr.	16

Carrarensium tabularia saltem duas subierunt eversiones, quibus fere omnino exinanita sunt. Inter exstantia Dominorum Carrarensium documenta liber continens octingentas undeoctoginta epistulas, minime secretas, ab anno p.Ch.n. millesimo quadringentesimo secundo usque ad tertium eiusdem saeculi annum conscriptas, ceteris praestat⁴. Iter ad talia documenta conficienda libro ipso penitus perspicimus. In eo enim prima sola littera denotantur in cancellaria ministrantium nomina: id est et epistolam committentis, qui saepius Domini consiliarius erar, et dictantis, et emendantis, et perscribentis. Antequam originalis mittenda epistula mitteretur, cancellariae ministri eam in libro transcribendam curabant, namque in libri margine apud aliquas epistulas annotatur „non missa, refecta, cassa“. Liber saepe etiam de epistulas transmittendi modo notitiam praebet. Insuper optimus Carrarensium documentorum fons est Chronica, quae „secunda Carrarensium“ inscribitur, quia documenta permulta et plurimi existimanda, ex ipsorum Dominorum perdito tabulario descripta, continet⁵.

B) *Documentorum genera*

Etiam in Carrarensium cancellaria quattuor documentorum genera perspeximus, quae minimis differentiis genera Scaligerorum documentorum fere duplicant. Plerumque cancellaria epistulis simplicibus et patentibus usa est ut officii iudicum causas delegaret. In quibusdam tabellionum libris supplicationum exempla invenimus, quibus in margine inscriptum erat „fiat, fiat per unum annum, pro nunc suspendatur“. Adhuc ignotamus utrum annotationes transcriptae sint in originali supplicatione ad supplicem reddenda, Papae curiae more, an documentum ad hoc perscriptum sit, ubi voluntatis annotationes claris verbis exprimerentur.

C) *Documentorum extrinsecae et intrinsecae notae*

Cum extrinsecis et intrinsecis notis Dominorum Carrarensium documenta simillima Scaligerorum documentis eiusdem generis sint, nonnullas tantum differentias illustrare malumus.

In privilegiis posttemorum Dominorum Carrarensium intitlatio adulatio-nibus amplificatur. Dominus, qui numquam ab Imperatore dux creatus erat, quamquam fuit „pro Romano Imperio Vicarius“, dux appellatur, quasi callide

⁴ Venetiis. Bibliotheca Divi Marci. Ms. lat. d. 14 o. 93 (= 4530). Edidit integre et accuratissime: Ester Pastorello *Il copialettere della Cancelleria Carrarese*. Venezia, 1915

⁵ Ibidem. Ms. lat. cl. 10 n. 381 (= 2802).

„Capitaneus“ nomen verteretur. Alibi Dominus appellatur „Magnificus et potens Dominus dominus Franciscus de Carraria, herõum domus ipsius Cararensis, civitatis et districtus Paduae septimus Dominus et Capitaneus generalis“

Pertinentiae clausula ad dispositionem attinens maxima post scriptum totum evidentiā ponitur et formula „Haec sunt bona“ introducitur. Roboratio saepe minutissime sigillum pendens apponendum describit. Una tantum epistula clausa, sub originalis epistulae missae forma, reperta est, in qua intrinsecae notae perexquisite cum posteriorum epistularum in libro transcriptarum intrinsecis notis congruunt.

Quaestio VI. De Caminensium documentis

Viri Caminensium Supetiorum stirpe nati Tarvisium et Tarvisinum territorium ut suum praecipuum Dominatum rexerunt per undetriginta annos tantum, ab anno p.Ch.n. millesimo ducesimo octogesimo tertio usque ad millesimum trecentimum duodecimum annum.

A) *Ministri processusque ad documenta expromenda*

Perpauca documenta a Dominis Caminensibus prolata reperta sunt, nam post Dominatus eversionem novi magistratus „non habebant aliquas scripturas, cum omnes fuerint laceratae“ propter odium in Dominos, ut magistratus ipsi scribunt. Quod ad hunc Dominatum attinet nobis inquirenda sunt et accipientium tabularia et praesertim tabellionum tabularia, quia Tarvisini tabelliones, ut Patavini, simul pro Domino et pro privatis operam dabant⁶.

⁶ Opus de Dominis Caminensibus optimum et unicum hactenus, quod summo opere nos adiuvit est „Giovanni Battista Picotti. I Caminesi e la loro Signoria in Treviso dal 1283 al 1312. Roma, 1975. Edizione a cura di Giovanni Netto“.

Quae Caminensium documenta adhuc pervidimus.

Tarvisii

– Archivio di Stato

– Tabularium antiqui Hospitalis

– involucrum 10, membrana 15059

1298 feb. 27

– involucrum 63 (olim 56) membrana 7422

1312 iul. 8

– Tabularium Monasterii Sancti Pauli Tervisii, involucrum membranarum 4

1308 feb. 8

Tabularia non omnium tabellionum monasteriorumve, tempore Dominorum Caminensium agentium, inspeximus: sed tantum eorum de quibus hic dicimus, et tabularia haec ne in totum quidem examinavimus.

B) *Documentorum genera*

Unum tantum documentum cognoscimus a Domini Tarvisii cancellaria productum. Hoc, forma missi privilegii, transcriptum legimus in Libro Commemoriali Venetiarum Rei Publicae, a quo comperimus originale documentum e viridi cera sigillo obsignatum esse⁷. E tabellionum libris praecipue, et ex ipsis documentis missis legimus universa Caminensium documenta tantummodo et usque per tabelliones perfecta esse. Si a Domino emissum documentum iuridici negotii auctorem „in camera suorum tabellionum“ agentem probat, cancellariam srabilem iam constitutam esse inferte nobis licet⁸. Quae opinio firmatur cum in cuiusdam tabellionis tabulario sit liber, perexiguus liber, octo paginis tantum compositus, tamen pretiosus valde, cui titulum „Liber gratiarum Domini“ indere possum⁹. Nam, licet in tabulario cuiusdam tabellionis asservetur, nihilominus in eodem libro nonnulli tabelliones conscribunt, ita ut conicere possimus librum hunc vere Cancellariae proprium fuisse, in quo ex argumenti similitudine plures tabelliones acta inscriberent. In margine fere omnium gratiarum in libro inscriptarum littera „F.“ annotata est, ut, meo quidem iudicio, originale mittendum documentum factum esse significaret.

C) *Documentorum extrinsecae et intrinsecae notae*

Praerer quod supra diximus de Caminensium privilegio inserto in Commemoriali Venetiarum Libro, nihil adicere possumus, nisi, de extrinsecis notis, sollempnissima Caminensium documenta in membranarum conscripta esse. Intrinsecis e notis unam advertimus ut huius cancellariae moris propriam: et in tabellionum libris etiam in documentis missis, in tabulariis accipientium asservatis, auctoris nomen fere usque sola prima magna littera puncto breviante scribitur. Inusitatus mos, quod ad documentum auctorem pertinet, apud Dominorum Venetam Terram Firmam gubernantium cancellarias, usitatissi-

- Tabularium tabellionum
- Desideratus de Franchino
- Gabrielis de Villa
- Vendraminus de Riccardo

⁷ Veneriis. Archivio di Stato. Libri Commemorales I c.146 v. 1309 feb. 13

⁸ Tarvisii. Bibliotheca Capituli Aedis Cathedralis, membranarum involucrium 2, fasciculus 29, num. 2 (secundum Picotti, cit., pagina 206, annotatio 2) 1308 mar. 11.

⁹ Tarvisii. Archivio di Stato. Tabularium tabellionum. Desideratus de Franchino, involucrium 1 (olim: 1/3 n. 5). 1303 iul. 6-sep. 26. In libro adest quoque documentum illatae gratiae forma originalis mittendi insertum et a tabellione subscriptum nomine signoque.

mus vero in Summi Pontificis curiae epistulis fuit. Iuridici negotii nomen constanter stricteque congruit cum iuridica substantia, quam auctor vult.

Quaestio VII. De imitatione

Concordias quasdam iam animadvertimus assiduas, denotantes et documentorum praecipue coincidentia genera, et similes extrinsecas intrinsecasque notas crebro, et rogatarii eandem naturam. Quae convenientiae significare possunt, ut nobis videtur, iisdem necessitatibus potius quam mutua imitandi intentione documenta creata esse similia.

Dominatum Venetae Terrae Firmae cancellariae neque cancellarias maximarum Potestatum, id est Papae aut Imperatoris, imitatae sunt, neque Venetiarum cancellariae mores receperunt, quamquam Venetiarum Res Publica e ceteris Principatibus proxima ac decore et clarissima celebritate praedita fuit, tamen Venetiarum Res Publica, ut Petrarca scripsit, vere „alter mundus“ permansit*.

* Amplissimas gratias pro collatis erga se beneficiis auctor memori animo persolvit Laurae Castellazzi, Ritae Collavo Baggio, Cuntado Corradini, Johanni Franco, Lucio Puttin, Raphaëlae Tursini.